

Datum Romae die 22. Jan. 1796.
(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 607.)

i) In Synodo.

Vd. *Synodus* (habitus; Canonicor. etc.)

UTENSILIA SACRA.

1) Cardinalium, Episcoporum etc. cui
competunt post mortem?

Vd.: *Paramenta Episcopi.*

*SSmi D. N. Pii Papae IX. Literae
apostolicae, quibus aliqua dubia
circa sacra S. R. Cardinalium et
Episcoporum utensilia declarentur.*

Pius Papa IX.

Ad futuram rei memoriam.

Quum illud plurimum referat, ut in apost. concessionibus nullus dubitationi detur locus, quae animos torqueat et controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Jam vero praeter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sancta haec Sedes tribuere solet per apostolicas literas in forma brevis incipientes, „de benignitate Sedis apostolicae“, iisdem per alias similes literas in forma brevis, quarum initium: „Cum fel. rec. Urbanus VIII.“ facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus Ecclesiae seu capellae vel loci pii, non obstante constitutione Urbani VIII.: „Aequum est,“ edita die 24. Julii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia pontificio Sarario attribuantur. Verum quum in memorato postremo brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus Archiepiscopis et Abbatibus, ex quodam invento usu addi consueverit clausula: „Salvaque in praemissis quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas aut patriarchales, quibus praefueris, quas alias ex concessione vel dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis fel. rec. Pii PP. V., anno 1567, tertio Calendas Sept. anno secundo“ saepe saepius dubia exorta sunt circa interpretationem et vim hujusmodi reservationis eove magis quod in superius memorato brevi: „de benignitate Sedis apostolicae,“ praefatae s. Pii V. constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte derogetur. S. namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum et illusorium foret, quatenus adjecta clausula eam vim haberet, quam verba praeseferunt. His quoque accedebat quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales, utpote qui in memorata s. Pii V. constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur. Quae cum ita essent, venerabilis noster Petrus Cardinalis Ostini nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI. Praedecessore nostro, ut rem certo definiret atque expresse declararet, an cardinales Episcopi seu Abbates nullius in apost. memoratis literis s. Pii V. Praedecessoris nostri comprehendantur, ac statueret quanam sacra ornamenta et suppellectiles et utensilia S. R. E. Cardinalium ad Sacrarium pontificium ex memorata constitutione Urbani VIII. et quanam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum nullius, sive cardinalitia dignitate fulgeat sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata sancti Pii constitutione revera spectent et

quomodo facienda sit divisio sacrorum suppellectilium et utensilium, quando Episcopus sive successive sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit. Nos igitur, qui memorati decessoris nostri bo. me. Gregorii XVI. locum licet immerentes suffecti sumus ad praecidendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas de consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium Praepositorum, haec, quae sequuntur, auctoritate nostra apostolica decernimus et mandamus.

1. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in constitutione s. Pii V. incipiente: „Romani Pontifices,“ exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis necnon exceptis pariter Cardinalibus abbatibus nullius, qui in romana curia morantur, quorum sacra utensilia, attentata citata constitutione: „Aequum est,“ Urbani VIII., praedecessoris nostri ad pontificium sacrarium spectabunt.

2. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutioni s. Pii V., cujus initium, „Romani Pontificis providentia,“ in literis in forma brevis incipientibus: „De benignitate sedis apostolicae,“ apponi solitis, in altero brevi quod incipit: „Cum fel. rec. Urbanus VIII,“ auferatur clausula, qua salva edicitur eadem plana constitutio ejusque loco substituantur ea, quae sequuntur: „Quod si Ecclesiis abbatibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus praefueris seu quas alias ex concessione, dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout jam Benedictus XIV. Praedecessor noster in sua constitutione incipiente: „Inter arduas,“ Cardinales hortatur, ut in praedictis rebus disponendis eas

Ecclesias prae oculis habeas ceterisque praeferas.“ Quae vero hoc in articulo praescriptimus ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante praesentium literarum publicationem enuntiatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent.

3. Sacra utensilia, quae vigore constitutionis s. Pii incipientis: „Romani Pontificis,“ Ecclesiis cardinalibus debentur, haec esse edicimus: mitras scilicet, planetas, pluvialia, tuniceas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros pontificales, alterum cui titulus: canon missae; item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastorem, faldistorium aliasque res sacras sive paramenta sive ornamenta sive vasa, si quae sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis anulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis et omnibus utensilibus cujusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus neque constet Ecclesiae fuisse donata. Volumus propterea teneri ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimat, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex Ecclesiae redditibus ac proventibus sibi compa-

rarunt, ne alias praesumi debeat ea omnia redditibus Ecclesiae comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad sacrarium sacelli summi Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae reddituum, quibus comparata fuerint et praeter ea quae in constitutione Urbani VIII. incipiente: „Aequum est,“ in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pixides, ostensoria, vas aquae benedictae cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum et urceoles cum pelvibus ac tintinnabulo, tandem baculum pastorem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum et his similia, exceptis anulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis.

4. Quando Episcopus duas vel plures Ecclesias successive rexerit, sacra utensilia decidi volumus proportionaliter inter Ecclesias cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, juxta constitutionem s. Pii V. incipientem, „Romani Pontificis.“

5. Ubi vero aliquis Episcopus simul praefuerit duabus, pluribus Ecclesiis unitis vel in perpetuam administrationem concessis, quae habeant capitulum et cathedralem Ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis Ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem Ecclesiarum unitarum seu in perpetuam administrationem concessarum redditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituunt; si vero redditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis Ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione reddituum.

6. Quod si constet, Episcoporum,

qui per translationem duabus Ecclesiis successive praefuerint, comparasse sibi omnia sacra utensilia redditibus tantum unius Ecclesiae, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad Ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius dioecesis, ex cujus episcopalis mensae proventibus fuerint acquisita. Haec volumus et mandamus decernentes has literas firmas, validas atque efficaces esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere eisque, ad quos spectant aut spectabunt, plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios iudicari ac definiiri debere irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, nostra et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo aliisque apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub anulo piscatoris die 1. Junii 1857.

Aloisius Card. Lambruschini a Bre-
vibus apostolicis.

Correspond. de Rome Ed. II. 1858
—59 pag. 16.

Reatina.

Vita functo Praesule Carolo Fioravanti Episcopo Reatino Cathedralis Ecclesiae Capitulum Canonicos deputavit, qui, ut moris est, pontificalia indumenta, et caetera defuncti sacra mobilia jure spoli colligerent. At Pompejus ac Benedictus Fioravanti de-

mortui Episcopi Fratres Canonicis deputatis notulas ab Episcopo propria manu exaratas ac subscriptas ipsoque anno suae nominationis datas cohibuerunt, quibus nuntiabatur sese indumenta et sacra mobilia in Pontificalibus necessaria a Fratribus accepisse: *dichiarando averne soltanto l'usso tribus mia villa naturale durante, spettandone la proprietà ai suddetti miei Fratelli, ai quali deve il tutto, qui sopra descritto restituirsi, cessala la mia vita naturale.*

Quaestio hinc inter Capitulum et Fratres Fioravanti exorta s. Congregationi dirimenda proponitur. Rogatus de sua sententia modernus Reatinae Ecclesiae Antistes, ab omni ferendo voto sese abstinendum existimavit, ne, ut ipse ait, alterutri disidentium partium studere videretur.

Certum in jure est spolium ornamentorum, paramentorum aliarumque rerum Episcoporum ad divinum cultum pertinentium deberi Ecclesiis, quibus Episcopi praefuerint, deque iis non esse Episcopis potestatem disponendi per ultimam voluntatem vel quemcumque contractum mere lucrativum *Const. 42. S. M. Pii V.*, quae incipit: *Romani Pontificis*, quae confirmata fuit per aliam constitutionem S. M. Innocentii XII.: *Inscrutabili* sub die 29. Januarii 1649.

Harum vero constitutionum sanctiones adeo sarta et tectasque servandas curavit s. haec Congregatio atque ita Cathedralium Ecclesiarum jura super spoliis suorum Episcoporum vindicavit, ut si casus occurrat, quod indumentorum caeterarumque rerum ad sacrum spectantium tempore mortis Episcopi copia non suppeteret, illorum pretium, ex illius haereditate solvi mandaverit, ut videre est in *Trivicana seu Tricaricen. 28. Junii 1726 ad quartum dubium.*

Attamen haec ipsa juris pontificii censura non ita exerit vires suas, ut quovis in casu indiscriminatum locum habere debeat. Etenim dum prohibentur Episcopi vel per testamentum vel etiam per actum inter vivos mere lucrativum sacras pontificales suppellectiles Ecclesiis cathedralibus debitas in alios transferre, nihilominus ipsos vetari id agere per contractum vere onerosum tenent *Guttier text. quaest. lib. 2. quasst. 94. in fin., Rodrig., in summa casuum conscientiae tit. de testam. conclus. 44., Suarz. de benefic. part. 1. cap. 5. num. 204. et 205. Salgad. in Labor. Credit. part. 1. cap. 42. num. 16. et S. Congregatio in praedicta Trivicana seu Tricaricen. 28. Junii 1726.*

Quin etiam cum de anno 1683 in Indiis occidentalibus ad patres migrasset Episcopus Antonius Gonzalez de Caracas provinciae de Benezuela, relinquens suum patrimonium adeo aere alieno gravatum, ut eo dissolvendo bona prophana non sufficerent, ad instantiam creditorum propositum fuit dubium: *An creditoribus defuncti Episcopi in subsidium, si alia bona non sufficiant, satisfaciendum sit etiam ex bonis benedictis seu pontificalibus non obstante constitutione 42 b. Pii V.*, cui s. haec Congregatio sub die 29. Martii ejusdem anni responsum dedit: *Affirmative, scilicet posse satisfieri*

His in jure praemissis in facto sacras suppellectiles et vasa pontificalia a duobus germanis fratribus in usum traditas fuisse defuncto Episcopo Fioravanti. In calce enim illorum notulae ita proprio caractere declaravit Episcopus: *Io sottoscritto ho ricevuto da Benedetto mio Fratello tutti i paramenti, e suppellectili sagre di sopra descritte per servirmene nel mio Vescovato, dichiarando di avere soltanto l' uso, spettandone la*

proprietà al sudetto mio fratello, a cui deve il tutto qui sopra descritto restituirsi cessata la mia vita naturale. In fede etc. Rieti questo dì 15. Novembre 1814. Carlo Fioravanti Vescovo di Rieti. Atque iisdem verbis concepta alia declaratio favore alterius fratris Pompeji. De veritate et authenticitate notarum et declarationum, utpote quae proprium Episcopi exhibent characterem, inter disidentes non ambigitur.

Ex hac simplicis usus concessione suam tueri proprietatem contendunt fratres Fioravanti, quin contra eos jura ac privilegia cathedralis Ecclesiae vim ullam exercere possint, quae eosque pretendi nequeunt, ut alienam substantiam impetere possint. Etenim usus est jus utendi rebus alienis salva earum substantia, *ex text. in l. cui usus 2. ff. de usu et habitat. et instit. §. 1. et seq. eod. tit.* Unde usuarius non plus juris habet in re, quae ad tuendum tradita est, quam quod ad usum vitae quotidianum sufficiat. *leg. 7. et 12. ff. tit. de usu et habitat. §. 1. instit. eod. tit.*

Quia vero usus jus est personale quemadmodum et usufructus, morte usuarii omnino cessat et exstinguitur, ad dominum proprietatis revertitur et cum proprietate conjungitur, nisi constitutionis lege aliter cautum fuerit. *l. 3. §. ult. ff. quibus modis usufruct. et §. 1. instit. tit. de usu et habit.* Quin imo usuarius nec fructus non perceptos tempore mortis suos facit et haeredibus transmittit, sed omnes ad dominum proprietatis redeunt. *Vin. ad §. 1. instit. tit. de usu et habit. n. 2. in fin.*

Perperam proinde videtur ea postulasse Capitulum, quarum usum tantum habuit Episcopus, quaeque ex juris dispositionibus libera redire debent ad dominos.

At opponit Capitulum, si concedatur fratribus Fioravanti retentio suppellectilium, hoc exemplum semel datum in damnum omnium Ecclesiarum cathedralium converti et pluribus abusibus in earum perniciem viam in posterum sternere. Addit etiam scuta fere 2000 Episcopo Fioravanti, priusquam ad sedem accederet ab episcopali mensa fuisse soluta, quae gravata fuit et adhuc gravatur passivo censu scut. 1500 auctoritate apostolica constituto et triennii lapsu extinguendo, reliquam vero summam solutam fuisse ab Administratore apostolico Ecclesiae Reatinae quemadmodum suo confirmat testimonio; unde praesumi posse videtur eam summam Episcopum erogasse in sacris suppellectilibus sibi comparandis siquidem plurimum impensarum pro bullarum expeditione condonatum ac remissum illi fuerat ab apostolica sede.

Consuescit autem s. Congregatio ea sacra mobilia cathedrali Ecclesiae adjudicare, quae cum pecuniis ejusdem Ecclesiae Episcopus acquisiverit, *ut in Cathacen. seu Suessana spoliis 28. Septembris 1709.*

Tandem Capitulum affert testimonium Magistri Caeremoniarum, qui ita refert: *Feci intendere alli Signori Canonici Obbedenziari nell atto, che il cadavere, del sullo dato Vescovo doveva essere esposto nel Palazzo episcopale, che per maggiore vantaggio del Capitolo era meglio far uso di una Pianeta decente, e già usata esistente nella Sagrestia della Cattedrale per vestirlo Pontificalmente, che impiegare la pianeta violacea nobile di proprietà del Vescovo, e da ereditarsi dal Capitolo. Attesto ancora, che in seguito di ciò i detti Signori Canonici mi fecero consegnare una pianeta con cui fu rivestito il defonto. Attesto finalmente, che dopo la tu-*

mulazione il Signor Colonnello Fioravanti riprese le due dalmatiche violacee. colle quali era stato esposto il Fratello, (e che per dritto anche di tumulazione appartenevano alla Sagrestia della Cattedrale) dicendo che tali dalmatiche spettavano in proprietà alla famiglia Fioravanti.

Nec idem Capitulum opponere praetermittit declarationes Episcopi Fioravanti signatas die 15. Novembris 1814 non esse munitas legali registro praescripto in motu proprio SSmi diei 6. Julii anni 1816, unde putant nullam in judicio fidem promereri. At animadvertendum est in articulo 8. cap. 1. del regolamento sulla registrazione, ad quem appellat Capitulum, expresse ita cautum esse: *saranno considerati come di data certa, e perciò esenti dalla attuale registrazione gli Atti privati i quali avanti quest' epoca o siano stati nominati in un atto pubblico ec. O Sia Morto alcuno de Contraenti.*

Post haec tum in jure tum in facto exposita Vestrum erit EE. PP. dirimere

Dubia:

I. *An Indumenta pontificalia contenta in duabus notulis ab Episcopo Fioravanti subscriptis tradenda sint ejus germanis fratribus seu potius cathedrali Ecclesiae Reatinae in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem,

II. *An Ecclesiae Reatinae competat jus repetendi pretium ab haereditate Episcopi Fioravanti in casu?*
S. C. resp.

Ad I.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II.: Affirmative prout et quatenus de jure.

Die 12. Junii 1819.

Carpen. et Mutinen.

Jacobus ex comitibus Boschi die 21. Martii anni 1815 viam est universae carnis ingressus, dum Carpensem regebat Ecclesiam. Fuerat ille anno 1788 ad Briclinoriensem Ecclesiam moderandam evehctus cujus jurisdictioni suberat paroecia s. Petri Foropompili; anno autem 1808 a SSmo fuit ad Carpensem episcopalem sedem translatus. Tabulis itaque, quibus decessit, universalem scripsit haereditem comitem Antonium germanum fratrem: legavitque Ecclesiae Briclinoriensi: *Un apparato completodi tela di oro, la Mitra buona con Pietre et un Calice di argento con coppa dorata: Paroeciae s. Petri Foropompili: Una Pianeta gialla con trina d, oro, e suoi finimenti, ed un Calice di rame dorato con coppa di argento dorata; Carpeni tandem Ecclesiae: la sua Concolina, o bacile d'argento.*

Suprema hac vix cognita voluntate plures penes s. Congregationem querae delatae sunt a Carpeni Capitulo nedum contra legatarias Ecclesias Briclinorii et Foropompilii sed etiam contra haereditem Antonium Boschi, quia putabat universam defuncti haereditatem in Mutinensi ditione existentem sibi addicere, raelative etiam fiscum, quatenus eam hic sibi adsciscendam putaret ex statuariis legibus posthabito haerede scripto, utpote extraneo.

Episcopi Mutinensis illico exquisita est informatio, ut ipse, audito haerede eidemque praefixo termino ad deducenda jura sua coram s. Congregatione referret de viribus haereditatis et an defunctus Episcopus Carpenis facultatem testandi obtinuerit, transmissa ejus copia. Archiepiscopo etiam Ravennatensi remissae fuerunt preces

Capituli Carpensis pro informatione et voto, ut auditis Capitulis Bricinoriensi et Foropompilii eisdem terminum praefigeret ad deducendum jura sua coram s. Congregatione. Ravennae Metropolitana jura Capituli Bricinoriensis et Parochi Foropompilii remisit cum sua informatione, cujus verba referam: *Mandatis hujus s. Congregationis ut par erat obtemperans audivi Capitulum Ecclesiae cathedralis Bricinoriensis et Archipresbyterum parochialis Ecclesiae s. Petri Foropompilienensis super preces a Capitulo cathedralis Ecclesiae Carpensis porrectas, quas hic alligatas remitto. Ex votis utriusque partis interesse habentis cognoscent EE. VV. quantum Capitulum Carpense solidis deficiat argumentis. Bulla enim s. Pii V., quae incipit: Romani Pontificis, rem totam satis superque explicavit et definiuit. Bricinoriensis Ecclesia vero nunquam auctoritate apostolica suppressa fuit semperque habuit et suum Capitulum et Canonicos, qui choro inserviebant et me tamquam metropolitanum in spiritualibus administratorem: Parochia s. Petri Foropompilienensis neque designata unquam fuit tamquam supprimenda.*

Quae cum ita sint satis aperte constat de bono jure Capituli Bricinorien., et parochi divi Petri Foropompilien. adeo ut indubiam possint concipere spem fore ut favorabile rescriptum obtineant.

Post multum temporis lapsum instante novo pastore, quo provisa fuit Ecclesia Bricinoriensis, causae definitionem datae sunt urgentiores literae Episcopo Mutinensi, qui de sua mora et postulatis a s. Congregatione haec habet: *Jampridem die 2. Februarii currentis anni 1818 literas E. V. R. acceperam, quibus de haereditate defuncti Carpensis Episcopi, auditis*

omnibus interesse habentibus et praesertim haerede s. Congregationem Concilii reddere instructam jubebat. Ante omnia ad haereditatem ipsum D. Comitem Antonium Boschi Tiburi commorantem scribendum esse duxi et literis sub die 17. Februarii datis ipsum rogavi, ut mihi indicaret, quaeenam essent haereditatis vires et an defunctus frater suus Carpensis Episcopus testandi facultatem a s. sede obtinuerit. Verum cum nullum hucusque responsum habuerim, id causa fuit, cur demandatam instructionem transmittere ad sacri Concilii Congregationem nondum potuerim, de qua dilatione summopere doleo.

Posterioribus autem literis E. V. R. die 5. Septembris datis et a me die 16. Octobris proxime elapsi acceptis statim curavi, ut saltem aliunde notitiam eorum, quae ab haerede declaranda erant, haberem.

Itaque haereditas defuncti Carpensis Episcopi in suppellectilibus, mobilibus, pecunia, gemmis rebusque aliis auro et argento pretiosis, prout fertur, ad valorem pertingebit scutorum 38500 monetae romanae demptis fundis immobilibus aliisque bonis, quae Romae et alibi possidebat.

Defuncto Episcopo praedicto bona mobilia, quae Carpii penes ipsum reperta fuerunt, fiscus sequestratione facta detinuit sicque prohibitus fuit D. Co. Antonius Boschi, ne defuncti fratris haereditatem adiret.

Opportune tamen favorabilis ipsi obvia fuit occasio, qua id assequi potuit, quod per appositam sequestrationem interdictum fuerat. Etenim mense Maji anni 1815 summus Pontifex Pius Septimus Janua redux in enarrabili mea omniumque civium consolatione et laetitia aliquod diebus Mutinae commorari dignatus est.

Aderat etiam tunc temporis D. Co. Boschi et quoniam summi Pontificis in temporalibus subditus erat, eundem supplex adiit, ut de capessendae haereditatis gratia intercessorem se praeberet penes regiam celsitudinem Francisci IV. serenissimi Ducis Mutinae.

Summi Pontificis nutibus annuit libentissime Franciscus IV. atque ita voti compos factus D. Co. Antonius Boschi remota sequestratione in haereditatis possessionem devenire potuit.

Vix dubitare fas erat, quin Carpensis Episcopus facultatem testandi a s. Sede apostolica impetravisset. Nihilo tamen secius in testamento ipso ejusdem facultatis nulla fit mentio et quacumque diligenti inquisitione adhibita hujusmodi indultum reperire datum non est. Hoc unum suspicandum remanet haereditatem ipsam hanc facultatem, si tamen re ipsa impetrata fuerit, una cum aliis documentis ad haereditatem pertinentibus penes se retinere.

Haec omnia ab ipso Capitulo Carpensi accepi, ut constat ex literis Vicarii capitularis, quarum excerptum hic transcribo.

Illud autem pro rei veritate dissimulare nequeo, quod aliunde liquido constat, videlicet: pinguem Episcopi Boschi haereditatem minime conflata fuisse nec conflare potuisse ex superfluis redditibus Ecclesiae Carpensis: Huic enim septem tantummodo praesuit annis et episcopalis mensae dotatio adeo tenuis erat, ut ad necessarium victum nullatenus sufficeret. Ea propter a Bricinoriensi Sede huc translatus ejusdem episcopatus jam suppressi redditus sibi retinuit, unde factum est, ut ex utraque mensa congruam sustentationem habuisset.

Caeterum nullum de hac re animi mei

sensum aperiendo quandoquidem me latet, quid in sui defensionem haeres deducere valeat. Nihilo enim uti superius dictum fuit ab eodem hucusque rescivi. Illi tamen juxta mandata E. V. R. ad deducendum jura sua in s. Congregatione Concilii, praefixo unius mensis termino et ad ostendendum indultum testandi a defuncto fratre Episcopo Carpensi impetratum novis literis, moneo et urgeo.

Plura exhibuit mihi documenta Comes Antonius Boschi, facultatem nimirum a serenissimo Mutinae Duci ipsi factam haereditatem adeundi praescindendo dalle ragioni, che può avervi il Capitolo di Carpi, consignationem legati Ecclesiae Carpensi relictis ac depositum factum penes Praepositum Capituli Carpensis earum rerum, quas defunctus Episcopus Boschi legaverat Ecclesiae Bricinoriensi et parociae Foropompilii, ac praeterea transactionem initam cum Capitulo Carpensi, quod omnia jura haeredi scripto cessit nonnulla genera mobilium accipiens. Causa itaque proponitur dimicantibus ex una parte Capitulo Carpensi ex alia vero Capitulo Bricinoriensi et Parocho Foropompilii quoad legata, necnon his postremis concertantibus cum haerede Comite Boschi quoad sacra suppellectilia Ecclesiarum redditibus a defuncto Episcopo acquisita. Certum in jure exploratumque est Clericos saeculares tam majores quam minores habere de bonis patrimonialibus plenum dominium textu claro C. quia Nos 9. de pecul. Clericor. De bonis etiam parsimonialibus, quae parcius vivendo congregant Clerici ex bonis mere ecclesiasticis honestae sustentationi necessariis, communiter docent contra Abbatem doctores illimitatam disponendi de iis facultatem habere clericos: ita reapse sentiunt Navar. de reddit. eccles. q. 5.

monito 26. num. 4., s. Thom. 2. 3. q. 185. art. 7., Engel de pecul. clericor. num. 7., alii passim, qui omnes idipsum docent de bonis mere ecclesiasticis honestae clericorum sustentationi competentibus. Verum ubi sermo fiat de bonis mere ecclesiasticis superfluis ad honestam clericorum sustentationem magna est iurium, canonistarum et theologorum controversia, quam fuso calamo pertractant Reiffenstuel. in lib. 3. decretal. tit. 25. integro §. 2. et Bened. XIV. tit. 25. de synod. dioec. lib. 7. cap. 2. Ex his itaque patet plenam habere potestatem clericos testandi de bonis patrimonialibus et post D. Th. loco cit. in respons. ad 2. communiter docent doctores, adeo ut Barbos. in c. cum in officiis num. 3. de testament. et ultim. volunt.; asserat ita de facto sentire omnes, licet Garzias de benefic. p. 2. c. 1. num. 9. contrarium teneat. At de bonis ecclesiasticis superfluis, nullum nec ad causas pias clerici saeculares tum majores tum minores testamentum facere possunt citat. cap. quia nos 9. de testam. et ultim. voluntat., et cap. ad haec 8. eod. tit., nisi apostolicum obtinuerint privilegium, ut late exponit Giraldus exposit. jur. pontif. part. 1. decretal. lib. 3. sect. 475. pag. 306. et seq. Quoad clericos vero, qui privilegio huiusmodi fruuntur disponendi per testamentum de bonis acquisitis ex redditibus ecclesiasticis superfluis, attendenda est dispositio constitutionis 42. s. Pii V. quae incipit: *Romani Pontificis*, qua decretum fuit, ornamenta, paramenta et res alias ad divinum cultum pertinentes, applicanda esse Ecclesiis, quibus ipsi praefuerint, ac quomodo perfici isthaec divisio debeat §. 11. ita innuitur: *Volumus autem, quod si quis ex Patriarchis, Episcopis, Abbatibus etc. pluribus Ecclesiis pro tempore simul vel successive praefu-*

erit vel plura beneficia obtinuerit, ornamenta, paramenta ac res et bona praedicta ad illa omnia habita ratione fructuum et temporis, quo eadem beneficia possederit omnino pertineant et proportionaliter dividantur inter eas; cui constitutioni innixa sacra Congr. in controversia inter Ecclesiam Tricaricensem propter obitum Episcopi Viglini translata ab Episcopatu Trivicano post decem et septem annos regiminis ad Episcopatum Trivicariensem, quem paucis tantum mensibus moderatus est, secundo dubio: An paramenta, vasa sacra aliaque argentea suppellectilia ad usum capellae et cultum divinum destinata reperta ut supra (scilicet tempore obitus Episcopi Viglini) debeantur Ecclesiae Trivicariae vel potius dictae Ecclesiae Trivicensi in casu etc.? die 6. Julii 1726 respondit: *pertinere ad Ecclesiam Trivicanam.* Hisce in iure statutis, quid a concertantibus partibus afferratur breviter perstringam.

Et primo quoad legata a defuncto Episcopo Boschi relicta, de quibus in primo dubio, Capitulum Carpense negat haec consignanda fore Ecclesiis Bricinoriensi et Foropompili, cum in relata plana constitutione incipiente: *Romani Pontificis*, quaevis tollatur Episcopis de sacris suppellectilibus disponendi facultas per testamentarias tabulas, et si privilegium habeant a s. Pontifice eas conficiendi, neque in themate applicare posse ait quod praescribitur §. undecimo praefatae constitutionis quoad divisionem inter Ecclesias, quibus defunctus Praesul simul vel successive praefuerit, tunc enim in albo episcopali sedium Bricinoriensi, utpote jam suppressa, quae non ut cathedralis sed ut parochialis habebatur.

Parochus vero s. Petri Foropompilli legatum suae Ecclesiae relictum tueretur, eo quod haec nunquam fuerit suppressa ac unita seu Sedes episcopalis aequae principalis Ecclesiae Bricinoriensi, sed semper parochialis extiterit, cujus Archipresbyter erat Episcopus ipsemet Boschi, adeo ut si quis de causa expulsus fuisset a Bricinoriensi Episcopatu, poterat se apud Ecclesiam parochialem recipere, ibi parochialibus muneribus fungi, quam quidem Paraeciam sacris suppellectilibus providere ac Capellano Curato suas vices gerenti congruam suppeditare debebat, cum illius redditus Bricinoriensi episcopali Mensae fuerint uniti ac proinde concludit eodem modo valida esse habenda legata relicta Ecclesiae parochiali s. Petri, de cujus suppressione ne dubium quidem unquam exortum est, quo valida habita est ejusdem Episcopi ultima voluntas quoad haeredem scriptum et legata nedum Carpensi Ecclesiae relicta sed etiam familiaribus et consanguineis, qui omnes iis jam fruuntur, imo et fortiori modo si attendatur Plana constitutio, cum scilicet paraeciae redditibus tot annorum spatium gavisus fuerit defunctus Antistes.

Capitulum vero Bricinoriense ex relato superius §. 11. constitutionis s. Pii V. suam mutat defensionem, ubi modus statuitur peragendae divisionis sacrarum suppellectilium inter Ecclesias, quibus vel simul vel successive praesul defunctus praefuerit ante translationem ad Carpensem; sequitur ex laudata constitutione etiam ipsis deberi sacrarum suppellectilium Legatum; deinde observat primo in laudata Bulla nullam mentionem fieri utrum aliqua ex iis Ecclesiis, cujus redditibus fructus est rector, existat vel fuerit suppressa, ideoque cum haec distinctio non fiat a lege nec a Capitulo fieri possit juxta text. L. Si de

pretio ff. de publ. in rem action. Animadvertit secundo, falsam omnino esse Cathedrae episcopalis Bricinoriensis suppressionem. Licet enim a SSmo Lutetiae Parisiorum fuerit subscriptum Concordatum, in cuius articulo tertio concedebatur suppressio Ecclesiarum Episcopaliū Sarsinatensis et Bricinoriensis earumque unio vicinis dioecesibus post obtentatas legitimas illorum Episcoporum renuntiationes, nihilo tamen secius nunquam executioni fuit commissa suppressio isthaec ob conditionum defectum a quibus illa pendebat et nunquam unio Ecclesiae Bricinorii vicinae dioecesi est peracta, unde post translationem Episcopi (Boschi ad Carpensem sedem) illa a nulla extranea potestate moderamen accepit sed gubernata fuit a Vicario Capitulari et Archiepiscopum Ravennatensem tamquam Metropolitanum in spiritualibus administratorem, habuit ceu patet etiam ex huius praesulis informatione superius relata; sedis huiusce licet suo viduae pastore existentiam noverunt probaruntque tum ecclesiastica tum laica potestas: sacrae enim Congregationes suas literas, rescripta facultatesque semper dirigebant vel Vicario Capitulari Bricinorii vel Vicario Generali Administratori illius Ecclesiae et in expeditionibus literarum apostolicarum pro beneficiis semper haec sedes dicta fuit vacans. Novit id etiam laica potestas, quae Vicario Capitulari pensionem assignavit etiam pro expensis Curiae et anno 1808 in edicto, quo militiae juvenes adscribebantur in articulo quinto, ideo liberati fuere ab hac adscriptione duodecim clerici Ecclesiae Bricinoriensis, quia ejus dioecesis unio nondum erat completa.

Animadvertit ulterius idem Capitulum demortuum Episcopum Boschi Bricinoriensem Ecclesiam duodeviginti circiter annis moderatum fuisse